

(1276) 1277, gener, 6

*Ramon de Pontós, cavaller de Monells, i la seva esposa Ermessendis venen a Gueraua de Ribera les persones de Guillem de Rissec, de Madremanya i la seva esposa Guillema, pel preu de 350 sous.*

ASD núm. 238, expedició posterior a la data, 265 x 200 mm.

Notum sit cunctis quod nos Raymundus de Pontonibus, miles de Monellis et domina Ermessendis uxor mea, per nos et omnes nostros heredes et successores, uendimus uobis domine Geralde de Ripparia, uxori Arnaldi de Ripparia militis et uestris et cui uel quibus uolueritis perpetuo, totum ius et directum dominium quod nos habemus et habere debemus in persona Guilielmi de Riuosicco de parrochia Sancti Stephani de Matremagna et in Guilielma eius uxore et in omnibus eorum infantibus quos modo habent uel sunt de cetero habituri et in omnibus eorum rebus mobilibus et semouentibus habitis et habendis ubique. Predictas siquidem personas cum omnibus supradictis et aliis quorum in personis eorundem omnium nobis spectet uobis uendimus ita quod habeatis ipsas personas et donemini(sic: dominium) de eisdem in perpetuo habeatis et teneatis cum omnibus supradictis, prout melius et plenius dici aut intelligi potest et prout melius Bernardus de Gornallo ciuis Gerundensis nobis uendidit, ut in instrumento uendicionis lacius continetur, in qua uendicione et instrumento inde facto et in omnibus aliis in eo contentis et nominatis damus uobis et uestris ius nostrum et locum et uoces et rationes utiles, directas, reales et personales atque mixtas quantum ad hanc uendicionem presentem nobis et nostris competentes et competituras, facientes etiam uos procuratricem et ueram dominam ut in rem uestram popriam, ad uestrum uestrorumque comodum et utilitatem et ad omnes uestras uestrorumque uoluntates perpetuo faciendas sine aliquo retentu quem ibi non facimus nec aliter reseruamus. Ideoque de nostro uestrorumque iure, posse et domino predicta eicimus, eadem in uestrum et quorum uolueritis ius, posse et dominium libere et quiete penitus transferentes, mitendo inde uos in presenti in corporalem et uacuum possessionem, pro qua uendicione confitemur a uobis in solidum recepisse trescentos quinquaginta solidos barchinonenses de terno, excepcioni non numerate peccunie renunciantes; et si hec uenda amplius ualet uel est de cetero ualitura, totum uobis et uestris donamus et remitimus, renunciando illi legi qua deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et omni alii iuri pro nobis facienti. Preterea conuenimus uobis bona fide per nos et nostros predictam uendicionem facere uobis et uestris habere et tenere in pace et esse deffensores et garentes contra cunctam personam et etiam quod teneamur uobis de euiccione et omni interesse et uos etiam et uestros deffendere in iure et extra ius nostris propriis missionibus et expensis, obligantes ad hec nos nostrosque heredes et successores et omnia bona nostra habita et habenda ubique. Et si aliquo iure scripto uel non scripto contra predicta ire possemus, illi iuri penitus renunciamus.

Actum est hoc .VIII. idus ianuarii anno Domini millesimo .CCLXX. sexto.

Sig+num predicti Raimundi de Pontonibus, sig+num domine Ermessendis eis uxoris, qui hoc laudamus et firmamus. Testes huius rei sunt Raimundus Uermilii, capellanus et

Raimundus .de Plano, clericus de Monellis et Arnallus de Ordeis iurisperitus et Petrus de Uerdaria, baiulus de Pontonibus.

Sig(s. man. )num Petri de Sancto Antonio, qui hoc scripsit mandato Raimundi de Sancto Antonio publici scriptoris de Mònellis, de notulis repertis atque captis in notulario Petri de Quintanis, condam publici scriptoris de Monellis, cum literis confusis in .v. linea, ubi dicitur "quorum" et cum litteris rasis et emendatis in .VII.Hnea, ubi dicitur "Gornallo, ciuis", die et anno quo supra. (s. man.)Raimundi de Sancto Antonio, publici scriptoris de Monellis, qui hoc subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 491-492